

Et quia caliditas sibi inest in primo, patet, quia nihil calidius eo, et quod siccum secundario inest ei, patet quod si esset in eo tanta siccitas, quanta caliditas, quam cito calefaceret tam cito desiccaret, quod non contingit. Et aqua frigida est in quarto gradu, & humida in tertio, quia etsi tendit in contrarium, ut possit calefieri, cum non potest congelari in siccum, sua manente frigiditate, & ita magis est frigida, quam humida. Nota, scripsi sicut reperi, sed mihi videtur contrarium. Aer primo est humidus in quarto gradu, secundario, calidus in medio tertij, Quia humiditas obtundit caliditatem. Terra primo est sicca in quarto, secundario, frigida in medio tertij. Et ita fit circulatio omnium elementorum. Ignis caliditatem infundit aeri, Aer humiditatem suam per caliditatem rarefactam infundit aquae. Aqua frigiditatem suam immittit terrae per calorem aeris eam desiccando. Et terra desiccata siccitatem suam frigiditatem, humifaciam, et calefactam infundit aeri. Itaque recuperat ignis caliditatem suam remissam per qualitates aliorum elementorum. Aer similiter humiditatem aqua frigiditatem, terra siccitatem suam. Et sic secundum istam mixtionem fit mixtio elementorum. Est ergo ignis in aqua, quia est in aere existente in terra. Et aqua est in igne, quia est in terra existente in igne, & terra est in aere, quia est in igne existente in aere. Et ita est eorum mixtio terminata